



**R**hollandus fuit Caroli Magni ex sorore Berta nepos, atq; Pipini regis pronepos. Is itaque à Germanis Francis natus & educatus, multis uirtutibus statim inclarescere cœpit. Erat autem miræ animi & corporis fortitudine præditus: propterea auunculum suum hinc inde bella gerentem secutus est, atq; magnam laudem ob res gnauiter perpetratas adeptus. Itaq; à Carolo tandem Britannici limitis præfectus constitutus fuit. Cum autem in Hispanijs contra Christiani nominis hostes Carolus pugnaret, prodijt homo quidam ferox & giganteæ staturæ Ferracutus nomine, qui Christianos ad singulare certamen prouocauit. Hic cum

multos uicisset, atque eum nemo aggredi amplius auderet, solus Rhollandus intrepidè accessit, atq; post duorum dierum singulare certamen, Davidis instar, Gigantem prostrauit. Cum etiam impius ille animã agere cœpisset, Rhollandus ex inimico amicus factus, ei Christum ostendit, atq; errorem gentilium patefecit, donec ille spe uitæ æternæ ex hac uita migrarit. Ea uictoria adæpta, Rhollandus copijs Christianorum præficitur, atq; uictoriosus dux passim magna existimatione hostes superat.